DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-septimâ mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXVII.

M. CLAUDIO FRANCISCO DU CHANOY, Doctore Medico, Præside.

An Arthritidi Sapo?

I.



URBANAS inter gentes morbus frequens, voluptatis proles, doloribus atque cruciatibus, in quâvis ut plurimùm articulatione, mortales dilanians, Vere & Autumno, paroxysmis eheù longioribus! Sæpiùs recurrens, à Græcis nuncupatur arthritis. Ab hac autem quam opprimit partem nova sortitur nomina; quapropter varias ipsius species describas potiùs, quàm morbum! Protheum definias. Arthritis Regulari quoties patet incessu, lympham in articulis degentem, *synoviæ* nomine insignitam, aut tendonum vaginis inclusam, partium lubrificationi inservientem plerumque corrumpit: modò torporem concilians, infarctus & trepidationes procreans, sensim extremitates invadit, modò stipata doloribus atque tumore comitata, repentè unoque ictu in articulos sævit. Si manum carpum-vè, aut externam partem, aut digitorum articulos infestat, chiragra dicitur. Si malleolos, talos, pedum, maximè verò pollicis commissuras adoritur, podagra. Ischias verò, si ossi sacro, ischio, aut summis natibus partibus-vè ambientibus inhæret. Nec satis est arthritidi tantum humano generi bellum inferre. Proh fatum! Quot quantasque strages edat, ubi irregularis seu *anomala* lacessit, vix credibile. Pandoræ pixidem rectè appellaveris; quæ morbi cujuslibet larvam mutuatur. Pravo cuilibet affectui ansam præbet. In caput sedem figit: Agmine facto ruunt anginæ, cephalagiæ, phrenesis, apoplexiæ. Dædaleos ubi pulmonis anfractus percurrit, tusses excitat, asthma procreat, pleuresim utramque mentitur. At si variis cum liquoribus tùm secretis, tùm lubrificationi viscerum in abdomine contentorum consecratis connubium faciat arthriticus humor; malorum iliadem secum ipsis importat. Præstò sunt cardialgiæ, nausea, vomitus, tormina, colici dolores, obstructiones, inflammationes, phrenitis, &c. Triplex *anomaliæ* distinguitur species: vaga, quæ trunci costarumque articulationes obsidet; indeterminata, quæ omnibus simul & cunctis partibus ex æquo minatur, devia tandem singulas viscerum functiones perturbat. Non adeò furit *paroxysmis* prioribus arthritis, imbecilliores plerumque occupat artus; in extremitates à corde remotiores, vim sanguinis valdè imminutam recipientes suum exercet imperium, non missurum, nisi negato in articulis hospitio. Nec irregularem nisi vetustate, casu aut incuriâ morem adipiscitur. Omissis omnibus causis, à Veteribus, in articulari morbo cognitis, in medium proferam sanguinis inspissationem, tumoribus excitandis maximè aptam, frigidamque morbi qualitatem præ se ferentem; altera verò ab humorum acrimoniâ originem ducit, calore, rubore, irritatione partis malè affectæ innotescit, calidaque noncupatur. Utraque modò seorsim, modò viribus unitis præliantur; nec tamen curantibus tantum facesserent negotium, absque ullâ peculiari quâdam arthriticâque humorum *Crasi* à naturâ alienâ. Recens huc usque curatu facilior habetur; inveterata & nodosa difficilior, teste Ovidio, *Lib. I, Eleg. IV.*

Tollere nodosam nescit Medicina podagram.

Hæreditariam expugnabis rariùs; nisi sanguinem spissum crassumque attenues, tumores discutias;

* *Auctore M. Carolo-Ludovico Liger.*

acrimoniam humorum obtundas, arthriticumque *miasma* foras amandes non remediorum farragine; sed unico, partibus oleosis salibusque alkalinis constante, saponis nomine insignito, cunctis facies satis.

II.

NULLUM immeritò corripit articularis morbus. Opimo victu, eleganti, gulæ irritamentis delectatur; olera quæcumque vitamque agrestem respuit. Otio gaudet & oppidis; rusticatur nunquam, nec terram exarat. Divitum palatia, eruditorum musæum habitat; pauperum verò parcit tabernis. Quantum ex deliciis surgat amari, apprimè suo periculo callent arthritici. Præteritam frustrà lugent felicitatem, ipsi frustrà valedicunt, dum voluptatibus aut gulæ pendunt vectigal, iterùm atque iterùm statis temporibus persolvendum. Neque enim usquam podagricis certa quies; inviti quot sunt, malorum volvuntur oceano, & cunctis suus imber imminet. Dolenda quippe ipsorum conditio, quoties plectuntur; at ipsis timendum quandiù quiescunt. Primarias Arthriditis causas perpendenti, proximam in senibus esse sanguinis inspissationem, ultrò patebit, ob defectum in motu circulatorio, imminutas vires labefactasque concoctiones; liquores enim nostri à motu præsertim & calore suam tenent fluiditatem. Idem vitium contrahit sanguis in helluonibus, quibus esculentis variis valentioribusque cibis stomachum gravare volupe est, ut ait Horatius, *Sat.* 2.

. . . . cùm simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Imperfecta semper eorum digestio, crassum viscosumque succum, reparandis jacturis eheu! copiosiorem miniméque aptum suppeditat. Otium nonnunquam & labor improbus, seu studium, humorum vitiant indolem; non uno quidem eodemque tenore suas agunt partes. In otio succorum corporis recrementa quæ priùs excernebantur, in vasis reconduntur. Meditationibus seriis ac diuturnioribus, spiritus defæcatiores ac volatiles à concoctionum penso, quod debuerant absolvere nimiùm avocantur. Quàm malè saluti suæ consulunt, qui calori juventutis obsequentes, aut vegetissimo robori nimium fidentes, Veneris ludos frequentant. Effrænatâ morum licentiâ præmaturiùs senectutem accersunt. Brevi enim franguntur eorum membra labore, debilitantur nervi, spirituum animalium fit penuria, nobilioribus balsamicisque suis partibus sanguis defraudatus, nihil nisi acrimoniam, acorem, acidum-ve redolet. At cunctos homines agitat non una cupido; sunt quos pleno juvat potare de die, variisque liquoribus spirituosis gustum recreare. Quantùm inspissando sanguini valeant acida, quantùm ipsi acrimoniam concilient, neminem latet. Liquores & vina acidis superabundare chemia demonstrat, lacteos humores coagulare evincit experientia. Cuncta Bacchi munera omnibus nocere cave credas. Iis, Campanis atque Burgundis tutò frui licitum est, quamvis patrio liquori plurimùm indulgeant atque bacchanalia vivant. At unde discrimen? Paucis accipe. Burgunda vina atque Campana principiis sibi invicem exquisitâ proportione adeò unitis constantur, ut arte quâlibet non facilè à se invicem queant disjungi. Cætera verò acidis partibus adeò turgent, ut in doliorum parietibus magnâ copiâ sales suos sub tartari nomine incrustent, operâque facili deponant. Quâcunque verò causâ sanguis inspissetur, aut acrimoniâ donetur, aut utroque vitio simul imbuatur, in stomachum, viscera primariasque vias impetum faceret; nec nisi peculiari humorum *crasi*, quam *miasma* arthriticum voco, vitiatus in articulis decumberet. Fonte licet eodem hauriantur corporis humores, nedum varii diversis sint morbis obnoxii, imò iidem, variè corrupti diversos pro modulo morbos procreant. Pars enim fibrosa seu lymphatica semen succosque nutritios corrumpit, ubi lue venereâ inficitur. Lympha verò eadem arthritico *miasmate* vitiata articulorum humores, aliosque iis congeneres inquinat, tenaciores, viscosiores, acriores, erodentes reddit. *Fernelius* asserit pituitam caloris vi & appulsu tantam adipisci crassitudinem, ut à lapidis aut gypsi naturâ non procul absit. Hanc sæpè deprehendisse testatur in pulmonibus aut articulorum digitis. Ab his omnibus fibrarum distorsiones, articularis motûs aberrationes, inertiam, infarctus, tumores, dolores acerbos podagrâ laborantibus supervenientes repetere ne graveris.

III

QUOTIESCUMQUE alkalinis salibus fixis vegetantium olea quælibet arte chemicâ, aut naturâ intimè conjunguntur, massa residua libero aeri concrescens, indurescens, in aquâ solubilis, Sapo nuncupatur. Ut tamen desideratos præstet effectus, certam requiri alkali cum calce vivâ parati, atque acidi proportionem usus edocuit. Quot quantaque ex hâc combinatione procedant miracula, mirum dictu. Oleum pristinam pinguem naturam amittit, novam aquæ amicam induit. Vim autem suam deprædantem atque corrosivam exuit sal alkali fixum. Compositum hoc inquit *Boerhaavius*, calore motu & contritu solvit gummosa, oleosa, resinosa, pinguia inspissata, reddit eadem quoque saponacea sive solubilia in aquâ. Hinc abluit, detergit, eluit, aperit,

mundat, resolvit. Coagulatis quæsitam restituit meabilitatem. Eâ re inveteratas reserat obstructiones, perditumque iis partium usum restituit. In concreta amurcosa ex terrâ coalescentia & oleo, pulchra quoque præstat. Obstat quin etiam acidis, ne cogant chylum, vel lac; imò & his acido densatis iterum resolutionem offert. Unde apparet quòd ferè sit aperiens, attenuans, resolvens, dissolvens universale in corpore humano, quoties memoratis de causis laborat. Ast quantùm debellandis furoribus arthritidis conducat Sapo, ex ipsius principiis eruas facilè. Olea nativa humorum acrimoniam obtundendi, demulcendi vim obtinere planum est. Sanguinis inspissationem salibus cedere; crassos vicidosque succos salibus attenuari, dilui, dissolvi constat experientiâ. Præstantiores effectus, tutiores promptioresque edere saponem, quis non judicet? Olea sale turgentia cum humoribus miscentur faciliùs, eosdem inter se magis *analagos* efficiunt, fluiditatem, dulcedinem ipsis conciliant; hinc circuitum suum perfectiùs absolvit sanguis, in minimis vasis nullas trahit moras, statutas juxta leges fiunt secretiones quælibet, stat æquilibrium à quo pendet sanitas. Sal alkali partibus oleosis involutus ad sanguinem faciliùs pervenit, minimos pervadit mæandros, in obstructis vasis sibi viam aperit, densos humores dividit, lympham morantem in circuitum agit; hinc tumorum discussio, resolutio, dolorum mitigatio, quies, bona valetudo. Arthriditi curandæ impar foret quodcumque medicamen virtute saponaceâ orbatum; hoc solius saponis opus. Ipsi licet cunctos corporis meatus perlustrare, organicas partes peragrare, absque ulla suæ virtutis deperditione. Serpit quocunque, reptat, rimatur; nec de suo, nisi in salutis aut ægrorum commodum impendit. Semper fortitur effectum, urinam movet, perspirationem excitat, sudores provocat. Quo tandem vergit natura hanc insequitur. Ventriculum, intestina primariasque vias, ab impurâ colluvie ex imbecillioribus aut pravis digestionibus ortâ alvum laxando expedit, à saburrâ liberat: sicque podagram ab ipsis incunabulis expugnat & expellit. At ubi in extremitatibus se recipit atque nidulatur arthritis, tumoribus, gypsis, tophis, nodisque artus deturpat, pereunte motu incurvat. Externè applica saponem; resolvit tumores, aerem in nodis inclusum expandendo, foras tophos attrahit, redit sua membro deperdita flexilitas, usus, mobilitas.

I V.

SAPONEM laudatis dotibus instructum curandæ Arthriditi parem fore, quis dubitet? Ecquis flocci faciat remedium, quod suadet ratio, probat auctoritas, indicat analogia, experientia confirmat? Podagra, inquit *Hippocrates*, lactis diætâ, diureticis & purgantibus tractanda. In ipsius consensum venêre plerique medendi peritiâ commendabiles. Quæ verò tentarunt medicamina, ea ipsis feliciùs successisse narrant, quæ amaritudine & sale pollerent. Quin imò scopum tutiùs attingunt ea, quorum principia, *analysi* factâ, ad Saponem propiùs accedunt; ut præ ceteris *Chamædrys* idcircò *ira arthritica* vocata. Iisdem remediis, *analogiâ* ducti, renum calculos aut vesicæ dissolvere conati sunt. Arthritidem cum calculosâ passione passu eodem procedere ominabantur ultrò, nec immeritò. Licet *Sydenhamus* podagrâ diù vexatus litem non dijudicet, caculum tamen & Arthritidem ejusdem materiei morbificæ participes esse, atque sese invicem procreare subodorabatur. Dubium solvere gloriatur *Guanerus* his verbis: « Summè calculosa passio dominam *arthriticam* diligit, & tantam simul habent affinitatem, ut una sine aliâ rarissimè invadat ». Hanc sententiam confirmat *Ramazzinus*. Nephritis quoque & Arthritis, quæ vitæ sedentariæ pedissequæ sunt, litteratorum morbis se jungunt comites; perraró autem quis arthriticus est, quin fiat nephriticus; quia utriusque affectûs eadem est materialis causa. *Erasmus* calculo laborans ad amicum suum arthriticum scripsit se & amicum illum esse affines, imò cognatos, duarum quippè sororum maritos, ac illius uxorem sibi intimè jungi absque ullâ adulterii suspicione. At si concreta ex utroque morbo producta arte chemicâ probaveris, iisdem omninò principiis conflari deprehendes: eamdem salis volatilis, olei quantitatem suppeditant, eamdem aeris copiam explodunt. Si tanta sit inter utrumque morbum & ex omni parte necessitudo; ecquis eamdem in administandis remediis rationem necessariam esse inficias eat? Saponem, Gallorum inventum, sub remedii *Lithontriptici Anglici* nomine, in usus medicos nuperrimè adhibitum, contra calculos mira præstare, eos dissolvere, dissolutos expellere norunt omnes. Quin etiam in hoc calculi affectu arenulas aut gypsum referente, qui affectus Athritidis statum & naturam propiùs attingit, feliciores, inopinatos & promptiores eventus sortiri demonstrat experientia. Hæc eadem sagax rerum magistra, nephritidem & arthritidem iisdem remediis curari posse atque profligari, evincit. Podagricos enim dolores demulcere, arthriticos motus compescere, ipsam insuper arthritidem penitùs eradicare, Saponi nonnunquàm contigit, quoties ipsius ope calculis laborantes sublevare tentarunt medici: sicque ægri duplici morbo interire periclitantes, ex utroque, atque eodem remedio in integrum convaluere. Tantæ hujusce remedii virtutes *Boerhaavium* non latuêre, ubi ipsius laudes extollit. Facit Sapo quod aqua nequit; quod oleo negatur, id præstat. Efficit tutò quod alkali cum periculo potest exequi, quod reliquis salibus nefas. Nullum secum importat periculum, si vacuis visceribus benè dilutus, motu corporis adjutus, copiâ satis magnâ, sed divisâ temporibus potetur. Virtute suâ dissolvente sanguinis motum perficit,

Act. Reg. Sci. Acad. liquidiorem lympham reddit, ipsam fixiori sale locupletat, circulatione tandem peractâ in urinis idem fermè reperitur. Externè pariter applicatus, in ulceribus sinuosis, fistulis pulchra efficit; & in maximis tumoribus, Auctore *Alexandro Tralliano*, Gallicum saponem in topicis adhibere convenit.

V.

TÆDIOSA lactis diætâ quamplurimos podagræ doloribus immunes fuisse, forsan objiciet aliquis? Quot exuto lactis jugo crudeliùs excruciantur? Nonnullos etiam reperias qui aperientibus martialibus arthritidem perdomarunt; at quanta, ubi phlogisticam vim explodunt martialia, capiti imminent pericula? A saponis usu nihil horum metuas; sive hunc mixtum cum melle atque subactum, in opiatæ formâ devorandum jubeas; sivè opiatam in idoneo liquore decoctam præscribas hauriendam. Instant; calculos vesicæ in quâ commoratur Sapo radere & dissolvere potest quam facillimè, concreta verò arthritidis penetrare minimè ob indefessum lymphæ motum. Podagricorum nodi, tophi spongiosâ materiâ aut gypsum referente formantur: adeòque remediis faciliùs dissolvi possunt absque morâ diuturniori; imò circulationis legibus obtemperando, novas eundo vires acquirit Sapo, superandis obicibus sæpiùs occurrit, eos sensim imminuit, faciliùs obliterat, tutiùs destruit. Licet innoxius per se, Medici tamen prudentiam atque sagacitatem requirit; quòd ipsi cum remediis potentioribus est commune. Ætati, temperamento, tempori, morbo consulendum est. Caveas ergò in arthritide *anomalâ* liberaliùs largiri, quoties morbum peculiarem procreat aut mentitur. Fibræ nimis tensæ, rigidiores priùs sunt laxandæ, humorum impetus, furores leniendi, sanguinis missionibus extinguendi, nimia eorumdem copia *Catarcticis* imminuenda, præsens tandem morbus propriis debellandus armis. Cautè etiam te geras oportet sævientibus podagræ paroxysmis: dolores tunc mitigandi, ex arte concilianda quies. His peractis, otiosus tragœdiæ spectator naturæ nequidquam committas. Vincendus adhuc latet hostis nova bella prioribus crudeliora mox daturus, nisi hunc diuturno saponis usu expugnaveris atque fugaveris. Nec te insoliti deterreant eventus, naturæ deficienti potiùs, quàm lædenti remedio adscribendi. Laxiorem alvum absorbentibus, coralliis constringes, constrictiorem oleosis lenioribusque purgantibus solves facilè. Procul hinc illa topicorum farrago in arthriticorum levamen minùs, quàm solatium adhibita. Quot repercutientibus topicis ex morbo sese expedire nitentes, in magnum vitæ discrimen inciderunt? Utere sapone, tumores resolvit; non repercutit, tophos dissolvit, foràs attrahit. Absque ullâ vasorum eruptione, dilaceratione, obstructiones reserat. Crassos viscidosque succos ubicumque degentes diluit, attenuat. Arthriticum *miasma* per urinas & sudores movet, agitat, avertit. Omnes denique arthritidis causas diruit, expellit.

Ergò Arthriditi Sapo.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-Joannes BAGET.	*M. Carolus-Ludovicus* VARNIER.	*M. Petrus-Augustinus* ADET.
M. Carolus-Jacobus SAILLANT, *è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.*	*M. Jacobus-Franciscus* DE VILLIERS, *Antiquus Regis Exercituum Medicus Ordinarius in Germaniâ, Regiæ Scholæ Veterinariæ Medicus.*	*M. Jacobus* BARBEU DU BOURG, *Regiæ Scientiarum Academiæ Stokolmiensis, Societatis Regiæ Monspeliensis, Societatis Medicæ Londinensis, & Societatis Philosophicæ Americanæ Socius.*
M. Theobaldus NIZON.	*M. Eduardus-Franciscus-Maria* BOSQUILLON, *Eques, è Societate Medicâ Edimburgensi, Professor & Censor Regius.*	*M. Joannes-Jacobus* MESSENCE.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-JOSEPHUS THÉRY, Atrebatensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1777.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1777.